





4.
1.
1.
2.
392
4.
5.
17
170
170
ju
6



1766.

1.763.

1. Varies, Joachim Georg: De differentiis jurisprudentiae
et politicae
2. Hackeman, Fr. Gode: De domini translatione in
pignore Germanico.
- 3^{art} 1764. Uhlies, Franc. Ludovicus: De similibus filio & patre
ad Dignitatem doctoralem consequendam suppeditatis
noe comprehendis 2 Exempl.
4. Wildenbryn, Henricus Augustus: Joanni Christiano Kochler
... supremo in jure honores ... congratulatus
5. Uhlies, Franc. Ludovicus: Utam gradus academici liberent
1764. a patria potestate? disquisitio simulque ad D. M. Georg. Franc. Ludovic.
Christiani Kochleri ... tractat. 2 Exempl.
1764. Varies, Joachim Georgius: De jure vindicandi servos
fugitivos
1765. Varies, Joachim Georgius: Meditationum ad praedicta,
quibus praecipua juris capita ex fontibus philosophicis expli-
cantur.

1765.

2. Skinner, Waf. Baeth. Adelphus, de: De praescriptione
jura naturalis fundata.
3. Wache, Georgius Fridericus: De origine nobilitatis imperio-
rum.

1766.

Struvin, Albertus Henricus, ab: De legitima et actione
ad eam suppletendam per testamenti subscriptionem
mentisquam sublata.

1767.

Davies, Frachinus Georgius: De jure reali in personis

1768.

Buchnerus, Fr. Samuel Fridericus: De usibus ex mandato
solventis.

1769.

Davies, Frachinus Georgius: De causis belli pro aliis
susceptis.

1772.

1. Caussé, Franciscus Ludovicus: De quibus tractatibus ex Aegypto migrantibus frustra impactis.
2. Varjes, Jacobinus Georgius: De differentibus practi- volun-
tarii atque meta in sti.

1773.

1. Medico, Georgius Samuel: De canaliculis Fubularum
2. Medico, Georgius Samuel: De vera indole agrorum
rectigalium.

1774.

Jarvis, Jacobinus Georgius: De justo termino solutionis,
quando in instrumentis obligacionis solutioni termi-
nus non est praefinitus?

1775.

Jarvis, Jacobinus Georgius: De interpretatione et extensi-
one p. 2 p. De rescissio- vendit.



[Faint, illegible handwritten text in cursive script, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



DISSERTATIONE INAUGVRALI
IVRIDICA
DOMINII TRANSLA-
TIONEM
IN
PIGNORE GERMANICO

1763, 2 2
~~300~~

CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
IO. GOTTL. DE HACKEMAN


IVR. VTR. DOCT., ET COD. IVSTIN. PROF. PVBL. ORD.
FACVLT. IVRID. H. T. DECANO

PRO LICENTIA

SVMMISQVE IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME OBTINENDIS
PVBLICE EXPENDET

D. FEBR. MDCCLXIII.

IOH. THEOPHILVS LVDOVICVS ORLICH
MAGDEBVRGENSIS.



FRANCOFVRTI CIS VLADRVN,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REC. TYP.



VIRIS
PERILLVSTRI BV S MAGNIFICIS CON-
SVLTISSIMIS
LIBERAE ET FLORENTISSIMAE SACRI ROMA-
NI IMPERII CIVITATIS
AC REIP. HAMBVRGENSIS
PATRIBVS CONSCRIPTIS
PRVDENTIA ET GRAVITATE
CONSPICVIS
C O N S V L I B V S
S Y N D I C I S
S E N A T O R I B V S
A R C H I V A R I O
P R O T O N O T A R I O
S E C R E T A R I I S
A R C H I V A R I O A D I V N C T O
P A T R O N I S E T F A V T O R I B V S S V I S
A E T E R N V M C O L E N D I S

† 2

HANC

HANC
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

EA QVA DECET

ANIMI DEVOTISSIMI

SVBMISSIONE

INTER ARDENTISSIMAS

PRO

PERPETVA REIPUBLICAE AC CIVI-
TATIS INCOLVMITATE

PRECES

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM


CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

IOHANNES THEOPHILVS LVDOVICVS

ORLICH.




TRANSLATIO DOMINII
IN
PIGNORE GERMANICO.



§. I.



Parum abesse, quin ad honorificam similemue
excusationis speciem cum illustri THOMASIO
Diff. de usu pract. dist. int. emt. cum pact. de re Excusati-
onis omis-
sio.
trou. et contr. pignor. ueluti ad sacram ancoram confu-
giamus, meditationes hasce nostras publici iuris faci-
entes, existentibus quippe quamplurimis serenioris
famae uiris, qui naturam pignoris, siue ad ius roma-
num siue germanicum adtendimus, late ad modum
persequuti sunt, non nemo forsitan nobis obiecerit.
Quem enim litteris uel leuiter tinctum IAC. GOTH-
FREDI, BACHOVII, STRAVCHII, SCHILTERI,
A GVND-



GVNDLINGII, BERLICHII, POTGIESERI, nec non AYRERI, RICCI, in hoc scribendi genere celebratissimi latere possunt? At enim uero instituti nostri ratio, qua cum primis discrepantem uirorum illustrium opinionem *de dominio rerum opignoratarum in creditorem ueteres apud Germanos translato* succinctis hisce pagellis ponderandi nobis proposuimus, necessariis solummodo huc spectantibus ex aliorum suppellectili delibatis, facile, ut speramus, iustos nauatae operae et aequos aestimatores inueniet.

§. II.

Pignoris datione alteri respectu crediti potissimum securitatem praestari, iurium, quantum recordamur, quamplurimum bene conspirans est conuenientia. Quam ob rem *contractus pignoratitius* haud incommode *definitur per contractum accessorium, quo creditori quid in securitatem traditur, exsoluto debito restituendum.* Siue enim ad ius naturae, siue ad romanum, siue ad germanicum quoque adtendimus, recte nos definiisse, paullo post adparebit. Patitur exinde humani quid THOMASIVS *Cap. 2. §. 2. d. l.* pignus per contractum accessorium definiendo. Ipsum enim pignus non est contractus accessorius, uerum mediante pignore contractus ille constituitur, quippe pignus proprie rem ipsam, alteri in securitatem concessam,


sam, inuoluit. Improprie tamen Romanos uoculam *pignus* pro contractu ipso etiam accepisse, uidere est ex §. f. I. Q. M. R. C. O., L. I. pr. π . de *pignor. act.*

§. III.

Memoratum hanc creditoris in pignore securitatem laudata modo iura triplicia abunde testantur. Nobis iam sufficit iurium dictorum fontes compendii gratia indicasse. Ita quoad ius naturae late hoc ostenderunt GROTIUS L. II. c. 12. §. 6. de *I. B. et P.* ac PVFEND. L. V. c. 10. §. 13. I. N. Romanorum hanc in rem placita tum ex legibus illorum tum ex Latii iuris interpretibus satis adparent. *conf.* LAVTERB. C. M. §. 2. ad tit. π . de *pignor. et hypoth.*, HEINECCIUS §. 2. eod. Licet autem iure hoc tam pignore quam hypotheca ius in re creditor sibi adquirat: utraque tamen negocia in eo potissimum differunt, quod in pignore ius creditori proprie per traditionem, in hypotheca uero per nudam conventionem sine traditione ei concedatur. L. 238. §. 1. π . de *V. S. L.* 4. π . de *pignor. et hypoth.*, de COCCEII I. C. lib. XX. tit. 1. qu. 1. Varias caeteroquin pignoris acceptiones legere licet L. 1. §. f. π . de *pañ.*, L. 5. §. 2. π . *commod.* et §. 7. I. de *act.* Quum uero sine rerum possessione securitati creditoris in statu naturali non sit plenissime prospectum, siquidem pax externa per adipiscendam rerum possessionem

Primarium pignoris effectum.





tionem haud raro turbatur: hypothecae constitutionem ex praetorio iure ceu Romanorum figmentum, ROCCA scriptore in subsidium uocato, fusius adumbrat *b. cancell. BOEHMER. Diss. de diuers. pign. et hypoth. iur. Cap. 2. §. 3. 5.*, speciesque pignoris per plures recenset ZIEGLER *Diss. de pignor. et hypoth. §. 25.* Teutones denique, maiores nostros, securitati, quam ius naturae circa pignus inculcat, interdum superaddidisse quiddam, ex infra dicendis patefcet. (§. VIII. XI. XIV.)

§. IV.

*Res pignora-
ratae du-
plices.*

Sunt uero res, quae pignori dantur, natura sua duplicis generis, *fructuosae uel steriles.* De *frugiferis* obseruat THOMASIVS §. X. d. I., in illarum obpignoratione secundum ius naturae creditorem percipere fructus, etiamsi pactum antichrescos nullum accesserit. In *sterilibus* pignoribus securitas creditoris nuda rei custodia, ipsi relicta, absoluitur; ut tamen creditor ratione usuarum securus sit, pignus plus ualere debet, quam est quantitas pecuniae debitaе. MEV. P. I. Dec. 74. Solet pignoribus lex *commissoriam*, ut, nisi intra certum tempus pignora reluantur, cedant creditori, saepius addi. Adnotant hic praeter ea *cit.* THOMASIVS, ENGELBRECHTIVS *Diss. de creditore antichret. §. X.*, MAEVIVS *discuf. leuam. inop. debitor. Sect. XI. c. 4. n. 28.* caeterique, ius pignoris a credito-
re


re uendi posse, huius ius in res non steriles obpignoras esse speciem dominii reuocabilis; nec minus PVFENDORFFIVS d. l. §. XIV. ibique HERTIVS adstruunt, quod naturaliter lex commissoria non sit iniqua. Vulgo autem lex illa cum alio pacto, quod de *cedendo* pignore cum debitore initum est, nisi intra certum tempus pecunia mutuo accepta, restituatur, confunditur. Illa per romanas leges prohibetur, hoc uero est licitum. b. BOEHMER *cit. Diff. Cap. I. §. 13.*

§. V.

Relicto illo, quod naturalis ratio in pignoris constitutione dicitur: Latii iuris placita ut breuibus perpendamus, operae erit pretium. Quid circa pignoris constitutionem primis Romanorum temporibus usu obtinuerit, aequae elegantioris solidiorisque iurisprudentiae cultori scitu necessarium est ac uera antiquitatum romanarum cognitio in uniuersum. Absque enim illarum ope nec leges recte intelligi nec in iuris adyta penetrare licebit. Duobus autem modis pignus apud Romanos olim constituebatur, simplici *depositione* et *fiducia*. Postea apud Romanos inualuit contractus pignoratitius, ex quo quidem actio datur contra creditorem ad pignus restituendum, sed non contra tertium. Inde Praetor in edicto ius agendi dedit. Tandem introductae fuerunt hypothecae

De Romanorum pignore et fiducia, qua





absque traditione. BACHOV *Tr. de pignor. et hyp.*
 C. XV. n. I., KRESS *spec. π. p.* 524. Vfus fiduciariae
 mancipationis, ut reliqua ciuilia silentio praetermit-
 tamus negocia, non in locationis et conductionis
 solum contractu, in mandato, deposito, uerum in
 primis in pignore frequentissimus fuit. Hinc fiducia
 dicta pro pignore mancipato. De fiducia, in quo-
 nam reuera constiterit, tres auctorum discrepantium
 citatus plus uice simplici THOMASIVS §. XX. sen-
 tentias adducit, sibi uerosimillimam adprobans se-
 quentem. *Fiduciam uidelicet esse contractum, quo pignus*
sollemni mancipatione tradebatur creditori, ut, si determina-
to tempore debitor soluat, id ei remanciparetur; si non sol-
ueret debitum, pignus caderet in commissum. Enimuero
 minus fundatam hic elegit THOMASIVS sententiam
 una cum reliquis aliis. Fiducia enim non fuit con-
 tractus, sed *pactum*, cui fides de restituendis rebus,
 alteri mancipatis, interposita. Nec est, cur quis obi-
 iiciat: si fiducia non nisi pactum fuerit, quomodo in-
 de nasci potuerit certa et nominata actio, iudicium,
 formula fiduciae? Nam fiduciae pactum, pignori u. c.
 mancipato adiectum, necessitatem pignus remancipan-
 di, pecunia soluta, creditori imponebat ex sollemni
 adhibita formula: *uti ne propter te fidemue tuam captus*
fraudatusue siem. Nec quoque fiducia, i. e. pignus
 fiduciatum, hypotheca et lex commissoria pignorum
 fuere

fuere synonyma, uti haecce omnia late deducit *Fr. Car. CONRADI Exerc. I. de pact. fiduc. §. I. XVIII. et XX.* De caetero a Romanorum fiducia fiduciarium pactum, quod est iuris gentium, apud plerasque Germaniae, quin immo Europae gentes ab antiquo usitatum ac in diuersis negociis et contractibus receptum, neutiquam est deriuandum, quem errorem cum aliis errat *GVNDLING*, male propter ea habitus a *cit. CONRADI Exerc. II. §. 31. 32.*

§. VI.


Quum etiam in fiduciae pacto dominium non statim ad creditorem tansiisse, sed demum ui legis commissoriae, elapso tempore determinato, statuat *THOMASIVS*, ad *PAVLLI ICI* uerba *Sent. recept. dominium transiit.* *Lib. II. tit. 13. §. 2.* prouocans, elegantem dictionis Paulinae explicationem, dominium scilicet omnino statim transiisse, licet temporarium et reuocabile, quod tamen improprium non est dominium, adfert laudatus modo *CONRADI §. XVII. et XIX.* Neque, uti *Quando illa abrogata.* cum *Salmasio* caeterisque defendit *THOMASIVS §. XXII.* fiducia a *CONSTANTINO M.* fuit abrogata, uerum illa simul cum sollempni mancipatione a *IUSTINIANO* sublata in usu esse desiit, ceu patet ex dispositione *L. un. C. de usucap. transform. ZIEGLER. cit. Diff. §. 17.* Nec a *IUSTINIANO* ritus duntaxat mancipa-

cipationis et in iure cessionis sublatis sunt, uti defendit GVDNLING. *sched. de iur. obpignor. territ.* §. 74., ipsa fiducia conventionione remanente. Bene enim obseruat POTGIESERVS *Sett. II. c. 1. §. 13. de indol. et nat. pignor.* si, abrogatis licet sollempnitatibus, adhuc fiducia perdurauerit, quid causae fuerit, cur ex omnibus Ictorum locis atque ex pandectis et codice nomen fiduciae sit eiectionum? Vnde uestigia tantum fiduciae occurrunt, ut in L. 5. §. 2. *π. commodat.*, L. 9. §. 2. *π. de pignor. act.*, *κ. τ. λ.*

§. VII.


Securitatis gratia pignus creditori tradi, idque iuribus naturali aequae ac romano respondere, uidimus. (§. II. III.) Missis iam uero, quippe ad institutum nostrum non pertinent, iuris utriusque huius in pignore differentiis quibusdam: utrum intuitu antichresis iura illa ab inuicem differant, nec ne, dissentientium sententias carptim examinabimus. Non nisi ex pacto antichrescos adiecto, neuiquam autem, si pactum eiusmodi non accesserit, potestatem pignore utendi et fructus ex illo percipiendi Romanos creditori permisisse cum reliquis THOMASIVS §. XXV. d. I defendit, ideoque reiicit sic dictam antichresin *vacitam*. Fundamenti loco sententiae huius auctores emendatam ab HOTOMANO *Legis 8. π. in quib. causis pig.*

Antichresis duplex.



pig. lectionem ponunt, ut uerba legis ita sese habeant: Quum debitor NON gratuita pecunia utatur, potest creditor de fructibus rei sibi pignorate ad modum legitimum usuras retinere. Nunc uero, uti concludunt, PAVLLVM in eodem libro Sententiarum, ex quo lex illa est desumpta, obseruare, ne quidem in fiducia licere fructus percipere, sed, si percipiantur, computari in sortem. Ergo tantum abesse, ut ex mente PAVLLI in pignore simplici id liceret. Enim uero rem optime et hic expediuit memoratus CONRADI Exerc. I. §. 19., PAVLLVM uidelicet in cit. L. 8. loqui de pignore in securitatem pecuniae non gratuita, id est, usurariae, creditori mancipato, quo casu antichresin in pignore contrahi non uideri, ne tacite quidem, sed creditorem, tradito pignore, fructus percipere, et perceptos primum usuris, deinde forti imputare debere. Porro, quem admodum uir ille explicando pergit, si ponamus, debitorem usum esse gratuita pecunia, poterat creditor tunc, quod PAVLLVS in eadem cit. leg. docuit, de fructibus rei fiduciae ad modum legitimum usuras retinere, quum tacite constituta antichresis intelligeretur. Adeoque non semper antichresin continet fiducia. Nam pecunia gratuita non illa tantum dicitur, de qua conuenit, ut gratuita esset, sed illa etiam, de qua non conuenit, si modo et de usuris nihil conuenit: licet debitor, quasi ad ἀρριδαπov obligatus,

B, pignus



pignus tradendo tacite consentiat, ut in vicem usufructuarum creditor fructus percipiat. *Ant. FABER Tr. de error. pragm. Dec. IX. error. 5., CVIAC. obs. Lib. VIII. c. 17.* Vnde minus recte distinctionem antichrescos in expressam et tacitam neotericis adscribit BACHOVIVS L. 1. c. 14. *de pignor.*, quum uix uerosimile sit, eam ueteres Romanorum ICTOS ignorasse, siquidem diuisio pacti in expressum et tacitum satis innotuit. L. 2. et 4. *π. de pact.* Plura hanc in rem disputat HAHNIVS *Diff. de iur. antichres. §. 12.* De Germanis quoad hunc passum infra (§. XV.) quaedam monebimus.

§. VIII.

*Primaria
institutio
ratio,*

Perpensis haecenus breuiori, quantum fieri potuit, studio iuris tum naturalis tum romani circa pignus principiis: ad metam, nobis propositam, propius accedimus. His etiam relictis, quae ab aliis iam occupata sunt, de pignoris constitutione, illius iure atque natura generatim: de controuersa in primis *Adres* inter quaestione enodanda, *utrum uidelicet, pignore dato, dominium in creditorem iure Germanorum uetere transferit, nec ne,* pro uirili erimus solliciti.

§. IX.

*Triples de
translatione*

De pignore apud Germanos ueteres uirorum litteratissimorum quorundam obseruatio est, una cum illo


illo ad creditorem *transfisse dominium*, reuocabile scilicet, adeoque simul periculum. Sententiae huic, ut caeterorum nomina silentio tegamus, adductus iterata uice THOMASIVS §. 30. etiam fauet. Similiter sentit STRAVCHIVS *Diff. de opignor. rer. imper. C. V. §. 13.*, ad IVS SAX. *Lib. II. art., 13.*, cuius uerba ita fluunt: *unusquisque potest sua bona etiam iure amittere seu alienare, si ab eo obligentur*, prouocans. Idem hoc statuit GVNDLINGIVS *sched. de iur. obpignor. territ. §. 81.*, addens rationem: naturam pignoris hoc exigere, ut creditor crediti sui sit securus; plus autem cautionis in re propria esse eiusque dominio, quam detentione rei alienae. Prouocant denique auctores, sententiae huic additi, non ad textus tantum iuris Saxonici, uerum ad diplomata quoque et formulas antiquas, ubi de facta dominii translatione agitur.

§. X.


Alii ex aduerso, creditorem non esse redditum pignoris accepti dominum, sibi uidere uisi sunt, in quorum numero in primis deprehenduntur KRESSIVS *spec. π. p. 522. §. 3.*, POTGIESERVS *Tr. de indol. et nat. pignoris Sect. II. Cap. 2. §. 5. 6. cum ibi cit.* et certo modo SCHILTERVS *exerc. XXV. §. 6. et XXXIII. §. 4.*, nec non HERTIVS *Diff. de conuent. domin. translat. §. 3.* Illud equidem concedit KRESSIVS, iure Germ. con-

B 2

stitu-



stitutum fuisse, ut, cuius contrahendo fidem elegeram, ei quoque dein praecise adhaerem, ideo, ut custodes rerum alienarum, quum ipsi soli respondere cogerentur, eo magis obligarentur ad fidelem diligentiam, sed de dominio translato nihil *exserte* dici. Nec in *commodato* dominii factam esse apud Saxonés translationem IDEM p. 510. §. 5. defendit, prouocans ad *art. 5. Lib. III. Iur. Prou. Sax.* ibique ad uerba: *uorladen sein Gut zuuertreten.* In antecedentibus uir ille, nimirum p. 161. ex iure Lubec. et Saxonico notissimam adfert paroemiam, *hand sol hand wahren*, ex qua constat, commodanti aduersus commodatarium, non contra tertium rei nostrae possessorem memorata modo iura actionem concessisse. Id tamen concedit KRESSIVS, creditores, uti hodieque, faepius ren. sub lege *retrouenditionis* accipere maluisse, non raro contractus plane irregulares initos fuisse, de fructuum quantitate lites cessasse. Prouocat denique ad ius sanæ rationis, quia scilicet pignus tantum accederet in securitatem, quae ab utraque parte intenditur, huic uero fati consultum, si creditori potestas uendendi competat aequis conditionibus, dominium, quod saepe, si res casu periit, noxium, creditori non addici. Alia paullo uia ingreditur citatus POTGIERSVS, cui rationes eorum, qui dominium iure Sax. Prouinc. in pignore et commodato transiisse statuunt,



ex iure Romano petitae uidentur, tum ex adiecto pacto retrouentionis in emtione et uenditione, tum ex vulgato Romanorum axiomate: *rem suo domino perire*. Porro casum in *cit. Lib. III, art. 5. J. P. S.* esse putat specialem, qui in obpignoratione equi uel iumenti tantum obtineret, huius autem loci adducti dispositionem in aliis pignoribus non obseruari rationemque specialis huius dispositionis non esse putatiam dominii translationem, quam textus non exprimeret, sed illam procul dubio, ut litibus praescinderetur, utrum creditoris culpa uel casu fortuito equus perierit. Denique, quod iure Germanico in pignore uel commodato dominium non fuisset translatum, exinde patere, quia creditor et commodatarius a doli et culpa praestatione non fuerint immunes. Ad damni autem praestationem utrumque obstringi non potuisse, si penes utrumque dominium steterit, quia damna, in re propria data, nemini quemquam refarcire teneri. Quaestionem hic esse, idem obiicit POTGIERSERVS, de dominio uero et naturali, non de Romanorum *ciuili et fictio*. Hancce, adinstar KRESSII sententiam *cit. textu iur. Prov. Sax. Lib. V. art. 3.*, uerbis: *vorlanden sein Gut zu vertreten*, potissimum corroborare adnuitur. Defendunt pari fere modo laudati SCHILTERVS et HERTIVS, dominium apud Saxones in pignore non transiisse, nisi

B 3

pactum

pañtum ſcilicet aliquid acceſſerit, quod naturam pignoris alteraret, quippe illud natura ſua non transferre dominium, Quoad commodatum exiſtimat etiam STRYK V. M. tit. *Commod.* §. 6. et *de rei vind.* §. 7. iure Germanico non ſimpliciter transferri dominium in commodatarium, quod iure illo rei commodatae periculum non ſentiret per textus IVRIS SVEVICI *Leg.* 226. et IVR. SAX. *Lib.* III. *art.* 22.


§. XI.

Nonnulli denique, media quaſi uia incedentes, *Auſtorum ſententia,* creditorem non apud omnes omnino gentes Teutonicas factum eſſe rei obpignoratae dominum cum HEINECCIO *Lib.* II. *tit.* XI. I. G. arbitrantur, iuriumque differentiam, uariis uarii populi germanici placitis in medium prolatiſ, demonſtrare ſatagunt. Veſtigia plane eadem nouiſſime preſſit ENGAVIVS I. G. p. 588. Idem hoc erudite carptimque demonſtrauit *Celeber.* DN. EISENHART. *in inſtit.* I. G. p. 276. Ita iure WISIGOTHICO *Lib.* V. *tit.* 6. §. 3. 4. eum, pignus qui depoſuit, diſerte dici dominum. Quem uero lex ipſa dominum diceret, illum non tranſtulſſe rei ſuae dominium. Similiter damnum, a re obpignorata datum, obpignorantem reſarcire teneri, id quod faciat tantum dominus, uti diſponeret ius ALAMAN *tit.* 86. §. 2. Idem hoc ex ADDIT. *leg. Friſ.* *tit.* IX. §. 1. patere. Cui legum

legum dispositioni addatur L. LONGOBARD. L. II. tit. 21. §. 18., dominium pignoris in creditorem neutiquam transferens. Ex aduerso *dominium* rei obpignorate *transferri* in creditorem, distincte loqui IVS PROV. SAX. *Lib. II. art. 24.*, uerbis: Ein ieglich Man mag seines gutes mit Recht ainig oder los werden, ob er es verkauft, VERSEZT etc. Idem ius altera uice *Lib. II. art. 60.* in hunc fere sensum disponere, uerbis: Welcher Man einem andern leihet sein Pferd oder Kleider oder andere fahrende habe oder VERSEZET, etc. Nec minus textum in *Lib. III. art. 5.* I. P. S. HEINECCIUS c. l. de dominio translato explicat. Exacte cum hisce iuris Saxonici locis conuenire IVS SUEVICVM *Cap. 243, 47* putat quidem THOMASIVS d. l., nisi quod quaedam imperinentia sint inmixta ex iure ciuili et glossa iuris Saxonici; at uero bene obseruat *cit.* HEINECCIUS, iure SUEVICO non adeo manifestum esse, pignoris dominium transiisse in creditorem.

§. XII.

Triplicem hanc modo memoratam uirorum, *Diuidicio fen-*
 de iurisprudencia teutonica optime meritorum, sententiam propius ut expendamus instituti ratio iubet. Ad priorem itaque quod adinet opinionem, de *uni-*
uersa omnino gente germanica, quod dominium rei obpigno-



obpignoratae in creditorem transferit, nequaquam adfirmandum est. (§. IX.) Obstant sane e diametro WISIGOTHORVM, FRISIONVM et LONGOBARDORVM, gentium germanicarum, placita. (§. XI.) Neque rem conficere uidentur ad formulas et diplomata Germanorum prouocationes THOMASII, GVNDLINGII, caeterorum, ab illis per lancem facturam producta. Haud plus enim magno adparatu conquisita haecce subsidia probant, quam non Saxones tantum, sed *plerosque* Germanos iure iam antiquo *dominio utili* in pignore fuisse gauisos, fructusque omnes perinde ac dominum percepisse, caute ita obseruante HEINECCIO. Nec ex ingenio substituta GVNDLINGII ratio, quasi plus cautionis sit in re propria eiusque dominio, quam in detentione rei alienae, quidquam hic ualebit, ut morem Germanorum uniuersalem, de quo tantum disputatio intercedit, probare possit. Sat securitatis enim estratione crediti in possessione pignoris eiusque detentione. Optime securitatem hanc hodieque callent Germani, intuitu mobilium, inter Pfand et handhabend Pfand distinguentes, in immobilibus uero adpellant ein Vnterpfand. Siue, ut SCHILTERVS c. I. §. 2. effert, Germanis aliud negotium est verpfaenden, pfand verschreiben, aliud pfand geben. Posterius priori semper fuit praelatum. Vestigium antiquae eiusmodi securitatis teutonicae

nicae apud Lubecenses hodieque retentum inuenimus. Ius enim LVBECENSE *Part. 3. tit. 4. art. 5.* diferte disponit: ist also derienige, welcher ein handhabend Pfand hat, naecher dabey zu bleiben, dann von andern darvon zu treiben. Hoc plane alienum esse a iure Romano, quo prior tempore, potior est iure, etsi secundo creditori res tradita sit, famosissimae perhibent L. II. §. f., L. 12. π. *quid pot. in pignor.*

§. XIII.

Auctorum posteriorum opinio, qua statuunt, ^{seniarum} dominium, pignore dato, in creditorem apud ^{et} nullam utique gentem germanicam uel *pacto tantum adiecto* fuisse olim translatum, ficulneo pariter fundamento nititur. Est enim creditor SAXONVM iure dominus pignoris usque dum reluatur, aut alii uendatur, uti *ex supr. cit. Lib. III. art. 5. I. P. S.* late demonstrat GVNDLINGIYS §. 8. d. l., idemque hoc ex IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art. 24.* distincte euincit laudatus HEINECCIUS (§. XI.) Hancce etiam explicationem confirmat GLOSSA GERM. *ad cit. I. P. S.* verbis: Vnd darumb verantwortet er das Gut nit also, das es sein sey, sondern begert allein, das er es mit recht gelöfen möge. Adiicitur ad marginem ibidem: Saxo scilicet dicit, dat id anefangen sin sy vnd blicuen sole. Notanter hic adponitur vox anevangen.

C

Pristi-

Pristinum enim obpignoratae rei dominium in creditorem transit. Cuius uero rei dominium debitor obpignorans contra tertium tuetur, dictis: Darum verantwortet er das gut, rem scilicet non esse furtiuam. Idemque hoc inuoluunt uerba praecedentia huius articuli: vorladen sein Gut zuvertreten. De *commodato*, dispulsa iam diu aduersariorum sententia, extra dubitationis telum est, dominium in commodatarium non transisse. Nam iure SUEVICO et SAXONICO commodatarii ius non in dominio consistit, quia commodans casum si ferat, commodatarius autem culpam praestare tum iubeatur. HEINEC. *d. l. iii. XII. §. 365, 66.* Quod uero commodans a tertio possessore rem commodatam vindicare non potuerit, hoc neutiquam ex dominio, quippe quod non fuit translatum, sed ex regula Saxonum communi: Hand muss hand wahren est deducendum. Dicta haec paroemia in quarundam ciuitatum non solum teutonicarum statuta fuit recepta, uerum et exteris gentes illam obseruare, Suecos nimirum, testis est LOCCENIVS *Synops. iur. Sued. Diff. XII. qu. 5.* Quodsi originem prouerbii illius perpendimus, apud Hamburgenses, Lubecenses etiam recepti, recte illa refertur ad Saxones, ex quorum iure in ius Lubecense primum excreuit, cui postea Henrici Leonis tempore ius Susatense superadditum et permistum est.

est. *cit.* GVNDLING §. 82. Rationem autem illius regulae tam ex fide Germanorum ueterum, quam ob commerciorum utilitatem introductam uideri, defendit laudatus POTGIESER §. 8. 9. p. 134. Caetera, nec pro KRESSIO uel POTGIESERO huiusque sententiae adfecilis quidquam ualebit, creditores *saepius* rem sub lege *retrouenditionis* accepisse, quem ad modum eiusmodi emtiones, a principibus Germaniae celebratas THVANVS *histor.* VII., HEINECCIUS, STRAVCHIVS, recensiti, adducunt. Neque disputationis cardinem tangit, fuisse tales fiduciaras uenditiones omnino a pignoribus distinctas, quum ipsa instrumenta ac diplomata distinguant, uti diplomate Ludouici imperatoris comprobatur GVNDLINGIVS §. 97. Vtraque enim adfertio uel ex pacto expresso uel ex natura pignoris Saxonici ueteris originem ducit. Haecque axiomatis Heinecciani §. 324. d. l. fortassis ratio est, quo adfirmatur, uenditionem inter cum pacto de retrouendendo et pignus uix quidquam apud Germanos fuisse discriminis, id quod indicant iura creditorum et effecta pignoris apud Germanos ab eodem HEINECCIO §. 325, 26. adlata. Neutiquam uero haec ita intelligenda sunt, ac si ad textus iuris Saxonici explicandos doctrina Romanorum de retrouenditione sit accerfenda. Simili ratione imperite agerent Romanorum huc adplicantes axioma: *rem*



suo domino perire; siquidem regula hac Saxo non indigebat, iure illius de translato in pignore dominio clare disponente. Denique, quem ad modum de aequitate memorati paullo ante proverbi: Hand mus&c. plura viri docti et praecipue COLERVS *Dec. Germ.* VII. n. 29., disputant: ita simili fere modo KRESSIVS de iam sufficiente creditoris securitate per possessionem pignoris et dominii translatione ei noxia late fermocinatur. Enimuero, quum supra (§. IV.) ostenderit, pro rerum obpignorarum differentia dominium quoddam in creditorem transire: consequitur omnino, ut eo casu et periculum sit creditoris, ideoque non possit repetere creditum, si non possit reddere pignus in eadem bonitate, qua illud acceperat. Nec, naturali aequitate inspecta, dominii translatio creditori potest esse noxia. Nam ex altera parte etiam periculum ad debitorem pertinet, ut non possit a creditore repetere pretium rei obpignorate, quatenus eius ualor excedit summam quantitatis debitae, creditorque ut debitor speciei eius interitu citra suam culpam utique liberetur. THOMASIVS §. 18. d. 1. Haecce tamen a iure Romano plane aliena esse, quippe quo iure nec dominium nec periculum in creditorem transfit, uel notissimus textus *Inst.* §. f. Q. M. R. C. O. clare loquitur.


§. XIV.

§. XIV.

Et sic, comparata inuicem discrepanti uirorum ^{defensio} maxime celebrium sententia, disceptationeque eorum ^{postremae.} pensulatius considerata, postrema, ut calculum ei adiiciamus, saluo aliorum iudicio, mereri uidetur, firmis admodum rationibus stabilita. Pignore uidelicet *non apud uniuersam* utique gentem teutonicam translatum simul fuisse dominium, quamuis per plures ex aduerso sentiant, (§. IX.) textuum teutonicorum diuersitas satis superque comprobatur (§. XI.) Cadere etiam, et minus sufficientem esse KRESSII, POTGIESERI, SCHILTERI atque HERTII sententiam (§. X.) ac explicationem, in aprico est. KRESSIVM una cum POTGIESERO conuincunt textus iuris Saxonici, *distincte et exserte* de dominio translato loquentes; (§. XIII.) SCHILTERI autem et HERTII interpretationi, quae ad factam dominii in pignore translationem *factum* requirit, praeter supra (§. XI. XIII.) adducta, abunde satisfacit *cit.* HEINECC. §. 321. *Schol.*

§. XV.

Vel bina adhuc circa pignora ac emtionem et uenditionem hodie quoque obuientia, ut de iis carptim agamus, summa restare uidentur capita, de *retrouendendo* scilicet et *antichreseos pacto*. De antichresi species quasdam ex pragmaticorum penupri-



*Antichre-
sis quid?*

num ut adnotemus, operae erit pretium. Missa ideo, quippe ad scopum nostrum parum uel nihil facit, uberiore, uocis antichreseos explicatione, quodque ea modo cum, modo sine pignore constituatur, uariasque in diuisiones abeat, *antichresin* ita definimus: quod sit domini utilis cuiusdam praestatio pro credito. Datur equidem antichresis in uicem usurarum, ut proinde nudi usus praestario dici possit secundum L. 6. C. quod eum eo, qui in al., L. 14. et 17. C. de usur., L. 11. §. 1. π. de pignor.: quoniam uero creditor per constitutam sibi antichresin de debitoris dominio quid participat, quippe peculiaria prae aliis creditoribus hypothecariis iura habet, antichresis non nudi usus praestatio, sed ex moribus Germanorum rectius species domini utilis dicitur. WEHNER *obs. prat. uoc. Pfandschilling, b.* BOEHMER *cit. Diff. de iur. hypoth. cap. 2. §. 18.*, DN. DE SELCHOW *in element. I. G. p. 628.* Caeterum ueteres Germani antichretico pacto non semper indigebant, siquidem sine speciali eiusmodi pacto creditor fructus omnes ex re obpignorata capiebat, nec ullo casu ad rationum redditionem erat obstrictus. Cuius doctrinae utilitatem hodiernam certa ratione praeter HEINECCIUM *Lib. II. tit. XI. §. ult. iur. Germ.* laudati modo auctores latius perhibent. *confr.* tamen laudatus de SELCHOW p. 629. num. 5. 6.

§. XVI.

§. XVI.

Posthabitis quoque quamplurimis interpretum *Diuisio*
disputationibus, illud saltem obseruare iuuabit, lici- *antichre-*
tam esse *expressam* aequae ac *tacitam* antichresin, si ad *sicos et fru-*
fructus, qui *certi* uel *incerti* sunt, respicimus. Audi- *tuum.*
unt uero *certi* fructus, qui annuatim uniformiter ex
re, in antichresin data, percipi possunt, excedentes
tamen legitimum usurarum modum, etiam *in expressa*
antichresi, ex distinguentium opinione forti ueniunt
imputandi. NOODT *Tr. de foen. et usur. Lib. II. c. IX.,*
VOET. *ad tit. π. de pign. et hypoth. §. 24.* Quorum
sententia ob aequitatem in foro omnino commendanda
est, quia iure etiam romano pactum antichreticum
terminos usurarum legitimarum excedere haud de-
buit, si fructus scilicet fuerint *certi*. Neque obmo-
ueatur, antichresi *expressae* secundum Romanorum
principia *tacitam* inesse locationem, L. 14. et 17. C. *de*
usur., rem autem meam uilius locare nullibi esse pro-
hibitum. Nam ex adcurata adductorum textuum
inspectione, ibi de fructibus *incertis* esse sermonem,
distincte admodum patet. Fructuum nec minus *in-*
certorum antichresis recte constituitur, modo fructus
legitimas usuras non nimium uincant et superent,
excessus sit modicus et mediocris. De quo prouentu
incerto laudatam *legem* 17. C. *de usur.*, ibi: *pro-*
pter

pter incertum fructuum prouentum, scite explicat BACHOVIVS ad Tr. Vol. II. disp. I. th. 6. lit. B. Medium, in-
 quiens, hic tenendum est, quod, ut ethnici de medio uirtu-
 tis loquuntur, non consistit in puncto, sed aliqualem habet la-
 titudinem, ita ut si quantitas non multum et uariatis uicibus
 excedat, ad legitimum modum usurarum sustineatur anti-
 chresis. Si itaque nimium usuras fructus incerti in
 antichresi expressa superant, forti etiam imputantur, in
 tacita autem tacite inest modus legitimarum usurarum.
 CARPZ. P. II. c. 30. d. 41. Ant. FABER Cod. Lib. 8.
 tit. 23. def. II., KRESS Spec. π. p. 531. §. 26.
 HERT. To. I. resp. 471. Recedit et hic a uulgari
 schola laudatus NODTIVS ac certa ratione
 STRYK V. M. §. 5. tit. de pignorat. act., seruandam
 scilicet esse conuentionem propter incertum fru-
 ctuum prouentum. Nam compensari spem com-
 modi cum periculo damni, uiderique eo induci aequa-
 litatem debitorem inter et creditorem. Nec anti-
 chresin Canonum iure simpliciter esse prohibitam,
 uerum textus, qui uulgo obmoueri solent, de cleri-
 cis esse intelligendos, existimat RITTERSHVSIVS dif-
 ferent. Lib. III. c. 70. Alii uolunt, usuras mere lu-
 cratorias iure Canonico tantum prohiberi. Parum
 hoc tamen referre, an iure hoc usurae sint prohibitae,
 recte obseruat Henr. de COCCEII Diss. de antichres.
 §. IX., siquidem usu recepto sunt licitae. Denique anti-

antichresis Recessibus imperii non prohibita inuenitur. Neque est, cur quis obiiciat *Ordinat. Polit. de an. 1577. tit. von wucherl. contracten. uers. und nachdem.* Ibi enim sermo non est de antichresi, sed de annuis redditibus, quos uero ab antichresi duobus praecipue modis differre, late deducit *cit. HAHN Diss. de iur. antichr. §. 4. n. 5., b. BOEHMER Diss. de praescript. annuor. reddit.* Reliquas antichreseos differentias, ut a pacto de retrouendendo, ab additione rei in diem pure emtae, ab ipso pignoris iure, persequitur *MULLER ad Struu. Ex. XIX. p. 1272., ENGELBRECHT cit. Diss. de creditor. antichret. §. 9.*

§. XVII.

Hisce breuiter praemissis, practicarum quaestionum prima ea sit: an ualeat pactum, antichresi adpositum, ut non possit creditor sortem exigere quamdiu patitur debitor creditorem percipere fructus? Peristere pactum eiusmodi quidam negarunt ideo, quod inutile sit pignus, quod nunquam potest distrahi. Porro, quod sic creditor cogatur pignus antichreticum in perpetuum retinere, ita ut nec debiti solutionem nec rei obligatae dominium unquam consequi ualeat. Rectius uero contrarium defenditur ex hisce rationibus: suae scilicet facilitati creditor acceptum referat, quod ea lege contraxerit; praeter ea, pignus

*Valor pa-
cti anti-
chretici.*

D

penes

penes ipsum non est infructuosum, quum eius fructus non solum percipere, sed etiam lucrari possit; quin immo tale pactum in arbitrium et potestatem debitoris fuit collatum, cui ab illo recedendi facultas semper integra mansit. Quum itaque pactum illud ex complacito debitoris et creditoris originem petat, nihil iniquitatis hic subest, nisi cum iniquitate exerceatur, quod ad abusum spectat. *Ant. FABER Cod. Lib. VIII. tit. 23. d. 6. 7., MEVIUS discusf. leu. inop. debit. Cap. IV. S. XI. n. 37.*

§. XVIII.

*Pactum
debitoris
prodest fi-
deiusso-
ri.*

Altera quaestionum in eo vertitur: an licitum debitoris pactum ualeat etiam respectu fideiussoris de non petendo a debitore, quod ex pignore haberi nequit? Pertractat et hanc speciem late *cit. MEVIUS Cap. VII. n. 87. 88.* Quum enim temporum iniuria, belli aliisque calamitatibus creditores usuras, quas sibi ex fundo antichretico pollicentur, interdum percipere nequeant, eas a fideiussoribus exigendi potestatem sibi esse concessam, falso licet, arbitrantur; exceptiones siquidem rei seu obligationi cohaerentes atque reo competentes, peraeque utiliter fideiussoribus competunt. L. 15. et 32. *π. de fideiussor.*, L. 7. §. 1. *π. de except.* Sic distincte etiam Iustinianus in §. 4. I. *de replicat.* constituit, ut, si debitor cum creditore de non petenda pecunia

pecunia pactus fuerit, perinde succurrendum sit fideiussoribus per exceptionem pacti conuenti. Ratio adfertur huius uel ea est, quia, fideiussore liberato, ab eo debitor conueniri nequit. Licet itaque pactum debitoris fideiussori profit, huic tamen illud nunquam obesse poterit. CARPZ. P. II, C. 18. d. 23.

§. XIX.

Quaestionum tertia ansam disputandi iuris interpretibus praebuit largissimam: an uidelicet debitor re in antichresin data laesus prouocare possit ad celebratissimam L. 2. C. de rescind. uendit., si ultra dimidium laesio facta dicatur? Adfirmantium sententiam remouendo pro negatiua rationes adducit GOTHOFREDVS ad L. 14. C. de usur., ubi refertur species de domo per pactum uice usurarum ad inhabitandum uilius concessa, quam si ea locaretur. Fundat GOTHOFREDVS sententiam in L. 17. et 23. C. de usur., siquidem spes incerta mercedum, quae solent decrefcere. Nihilo tamen secius priorum sententiae, ceu in foro magis communi, adstipulatur cum cit. MEVIO HAHNIVS d. I. §. 40., agi scilicet posse ob immodicum excessum, minime autem, uti erronee quidam uelint, quod possessor antichreticus ad rationes reddendas sit obstrictus, sed debitori incumbere, ut secundum communem usum et commodum enormem

*An locus
hic sit L. 2.
C. de R. V.*



demonstret laesionem. (§. XVI.) Sed uero haecce de antichresi pro instituti ratione dixisse sufficiant. Complures huc spectantes species larga manu in medium prolatas legisse non poenitebit apud laudatos HAHNIVM §. 36., ENGELBRECHTIVM §. II. *ibique citt.*

§. XX.

*Disputa-
tiones cir-
ca hoc pa-
ctum.*

Progredimur ad pactum sollemne illud de retro- uendendo. Ex uulgari iuris interpretum sententia sub *retro uenditione* intelligitur *ius uel pactum, ui cuius emtor uenditori ad rem emtam, simili pretio accepto, restituendam tenetur.* Porro statuitur, haec conuentio contractui emtionis sit adposita, non uero sit ipse contractus emtionis. MVLLER *ad STRVV Exerc. XXIII. §. 41.* Cui tamen res sub hoc pacto addicta sit, eum et fructus et accessiones *iure domini* percipere et lucrari. GOTHOFRED. *ad L. 3. π. de contrah. emt.* Varias circa hanc iuris particulam sententias uidere licet ex H. PISTORIO P. III. *qu. 24. n. 23.*, HEROLDO *conf. XXXI. n. 42. 48.* caeterisque. Quandoquidem uero non in pragmaticorum tantum scriptis hinc inde perplura huc spectantia inueniuntur, sed ex instituto etiam in retro uenditionis iure exponendo SCHILTERVS, BERLICHIVS vires suas iam exercuerunt, nec minus *cit.* THOMASIVS integra duō capitula de pacto hoc conscripsit, actum agere nolentes quae-

quaestionum quarundam forensium recensione erimus contenti.

§. XXI.

Controuersas inter hanc ad materiam pertinentes quaestiones primo loco ea nobis sese offert: utrum uidelicet uenditor cum pacto retrouenditionis rem uendens in ea uendita habeat ius *reale*; an tantum *personale*? Actionem *realem* uenditori concedentes in eo se fundant, quod per pactum de retrouendendo dominium ipso iure in uenditorem ex sola oblatione pretii absque noua traditione retrotransferatur. Licet igitur primus emtor praedium eiusmodi rursus alteri uendat, posset nihilominus uenditor secundo emtori pretium offerre et oblatum, si non accipiat, legitimo modo consignare. Quo facto, statim resoluitur secundus contractus, ut ita primo uenditori actio rei uindicationis competat, quemadmodum speciem ex horum sententia format uariosque iuris textus, ad quos prouocant, citat GAILIVS L. II. *obf.* 16. Magis uero fundatam uerioresque opinionem laudatus modo GAILIVS una cum CARPZOVIO P. II. C. I. d. 16., ZASIO *Lib. I. conf.* 12., HAHNIO *ad W. tit. de pignor. act. n. 5.*, aliisque defendit, nequaquam uidelicet uindicatione contra secundum emtorem experiri posse uenditorem primum,


Actio hic tantum datur personalis

sed *personalem* tantum instituere actionem uel praescriptis uerbis. Iuri conformis et in foro recepta sententia haec legitime defenditur ex L. 2. C. de pact. int. emt. et uendit., L. 6. C. de rer. permut., uti more suo eleganter deducit de COCC. I. C. tit. de contrah. emt., qu. 36. uid. HORNIVS resp. 30. p. 644., HERTIVS To. II. Dec. 149. n. 4. Quum itaque actio personalis non detur contra singularem successorem, primus tamen uenditor contra primum emtorem eiusue heredes ad id, quod interest, actionem recte mouebit, uel ad poenam, si adiecta sit. L. 135. §. 3. π. de V. O.

§. XXII.

Fructuum pendentium diuisio. Longam pari modo iuris interpretum legere licet de specie ea disputationem: an uenditor ui pacti de retrouendendo fundum redimens fructus etiam pendentes consequatur. In thesi hac controuersa omnino ueritate nititur, fructus fundi uenditi emtorem tanquam dominum sequi, fructus quippe pendentes pars fundi uidentur, adfirmante G A I O in L. 44. π. de R. V. Nec minus, emtor fundum cum fructibus emisse censetur. Si enim fructibus iam maturis ager distractus sit, etiam fructus emtori cedere, nisi aliud conuenit, exploratum est; uerba sunt distincta ICTI in L. 13. §. 10. π. de act. emt. Quod uero iuris est in emtione, illud etiam

etiam obtinet in retrouenditione, quae et ipsa uera est uenditio. Accedit, fructus etiam pro accessione rei haberi, quae lucro emtoris cedit, *cit. L. 13. §. f. Late PEREGRINVS de iur. ffc. Lib. VI. tit. 4. n. 31.* Nihilo tamen fecius alii arbitrantur, ad tempus in initio contractus et cadentis diei spectandum esse, ita ut si illo anni tempore, quo primitus facta uenditio fuit, existent fructus, in fundo eodem modo retrouenditio facienda sit, sin uero lectis fructibus fundus emptus fuerit, nullo iure redemptio ante perceptos fructus fieri possit. Quae sententia admodum probabilis uidetur *CARPZOVIO P. 2. C. 1. d. 20, n. 2. ac BACHOVIO ad Tr. Vol. I. disp. 28. th. 10. lit. C.* Accessit tertia denique, quae pragmaticorum numerosissimorum opinio est, et in foro passim recepta, fructus scilicet ultimi anni emptorem inter et uenditorem pro rata temporis diuidens. Sententiae huius fundamentum non in aequitate solum niti, sed eam quoque ex *L. 7. §. 1. π. sol. matrim.* defendi posse, vulgo autumant. Integra citatae legis specie adposita, eam inter caeteros defendit *CARPZOVIVS Lib. V. resp. 29, n. 9.*, existimans, etsi textus hic in terminis nostri casus non loquitur, nam in lege illa fructus maritum inter et uxorem diuiduntur, illum tamen adposite ad casum praesentem adcommodari ex rationis conuenientia. Verum enim uero priorem sententiam aequitati aeque ac iuri conformem




mem quam eruditissime tuetur *Henr. de COCC. Diff. de iur. sem. sect. 3. §. 12.* Nec ad impugnandam priorem opinionem facit distinctio, quam urget *cit. CARPZOVIVS*, uenditionem inter *necessariam* et *ex uoluntate factam*. Nam retrouenditio non est ex necessitate, sed ex pacto adiecto adeoque ex consensu. Quod autem initio est uoluntatis, illud postea est necessitatis. *L. 5. C. de O. et A.* Frustraneo etiam ausu citatam *L. 7.*, quae speciem plane singularem continet, obponi, statim adparebit. Caetera, retrouenditionem exercens, fructuum fundi non prius fieri potest particeps, quam ab eo tempore, quo sortem ipsam exsoluit. Species tractant *LYNCKER Decif. 201.* et *FRANCKENBERG prax. mod. p. 268.* In genere enim retrouenditio non fiat, nisi uenditori pretium offeratur integrum et exsoluatur. Nec reemere uolens, licet cautionem offerat, est audiendus, *HORNIVS resp. XXVII. n. 18. p. 635.*, quomodo et hypotheca non dissoluitur aut aufertur, quoad debitum sit solutum et integrum, quia obligatio eius est indiuidua. *VVLTEIVS Vol. 3. conf. 31. n. 38.* Porro, in retrouenditione ad monetæ mutationem non adtendi, sed pecuniam in eadem bonitate, qua primo erat soluta, esse restituendam, meliorationibus uero, quae probentur, restitutis, cum pluribus aliis defendit *BERGER Part. II. resp. 18. n. 3.* Enimvero distinctionem hic esse adhibendam,
late

late docet STRUVIUS *Exerc. XVI. §. 34.*, ibique cautelam adicit MULLER, qua observata, litibus occurrere posse, putat.

§. XXIII.

Quoniam vero sententiae, cuius tertio loco mentionem iam iam fecimus, fundamentum in *cit. L. 7. Explicatio*
 §. I. pragmaticorum quidam quaerunt, ut legis huius *cit. L. 7.*
 paullo uberiorem, duumvirorum in vera legum explicatione verbis utentes, adponamus interpretationem, haud abs re esse videtur. Principio statim tenendum est, fructus postremi anni matrimonii diuidi inter uirum et uxorem pro portione temporis, quo matrimonium eo anno stetit, huncque annum computandum esse ex die traditi fundi dotalis, si *post* nuptias traditus est; si autem *ante* nuptias, ex die nuptiarum, ad eundem diem sequentis anni, VLPIANO et et PAVLO interpretibus in *L. 5. et 6. §. sol. matrim.* iam ponamus, *uindemiae tempore*, hoc est, Kal. Octobr. fundum in dotem datum *post* nuptias, et sequente anno ultima die Ianuarii solutum matrimonium: hic certum est, ut compleatur tempus diuidendorum fructuum, requiri adhuc octo menses usque ad eundem diem, uidelicet primum Octobris, quo ueniente inhibitur computatio fructuum, ut ex iis marito, quia tertia parte anni stetit matrimonium, tertia etiam pars
 E fructu-




fructuum tribuatur. Sed incidit hic alius casus. Nam, quum uindemiae tempore fundus in dotem datus esset, maritus eam integram percepit, eundemque fundum Kal. Nouembr. locauit fruendum, sequutumque est diuortium in fine mensis Ianuarii. Vnde quaeritur: an ex die *locationis* computetur tempus diuendorum fructuum, ita ut uindemiam, quam percepit, maritus solus retineat, et nihilo minus in diuisione mercedis cum uxore concurrat? Videbatur enim dicendum, quia maritus fructus uindemiales perceperat constante matrimonio, eos integros retinere posse. Sed respondet Ictus, fructus diuidi non ex die *locationis*, sed habita ratione praecedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit, idque ex summa aequitate contra L. 7. *π. de iur. dot.* Ita eleganter Henr. a SVERIN *repetit. iur. Cap. 32. TOM. IV. T. I. R. Eu. OTTONIS p. 50.* Audiamus commodam aequae legis eiusdem interpretationem Lud. CHAROND. *uerisimil. Lib. I. cap. 10. To. I. d. I. p. 707.* quando ad textum recte intelligendum duo obseruat. Vnum est, fructus uindemiae a messium mercede, quae colonum ex forma *locationis* sequebantur, separatos fuisse, id quod VLPIANVS *in §. 3. h.* diserte indicat. Alterum est, fructus uindemiae pro modo temporis, quo stetit matrimonium, retinere et lucrari maritum. Sic, quum in proposita specie quatuor mensibus, ste-

tisse

tisse matrimonium dixerit PAPINIANVS, consequens uidetur, ut, pro eius temporis modo, fructus uindemiae maritus retineat. Nam et uxor futuram post diuortium factum totam lucratur uindemiam. Sed, quia fundum colono fruendum locauerit matrimonio stante uir, et trium mensium debet mercedem colonus; uisum est, eos uindemiae fructus cum hac mercedis portione confundi debere, ut ex ea pecunia tertia reditus annui portio relinquatur.

§. XXIV.

Compluribus in pacto de retrouendendo con-^{Unus plu-}currentibus, quisnam ex iis ius illud exercere possit? ^{rium redi-}disceptatur. Optime procedere, distinctionem hic ^{mis} adhibentes, intellectu perfacile est. Ita, si duo simul fundum sub retrouenditionis pacto uendunt, unum eorum ad retrouendum in solidum agere non posse, indubitati iuris est. Ex ipso enim pacto diuisum est debitum et uenditori duntaxat pro parte ius quaesitum competit. Probatum sententia haec ex speciebus a PAPINIANO in L. II. §. I. *π. de duob. rei.*, et a IAUOLENO in L. 56. *π. de cond. et dem.* dilucide propositis. Quodsi autem species ea sit: sub lege illa retrouenditionis unus rem suam vendidit, unus etiam ex illius heredibus uel successoribus ius redimendi in integro fundo exercere potest, oblata uidelicet





delicet tota pecuniae summa. Pro parte enim ius hoc exerceri nequit. L. 72. $\pi.$ de *V. O.* Sententiae huius fundamentum ex L. 78. $\S.$ 2. $\pi.$ de *contrah. emt.* statim adparet, uerba LABEONIS ponderando: *si unus heredum omnem pecuniam soluerit, tradatur ei possessio.* Per elegantem decisionis huius rationem subministrat MEVIUS *Conf. XIX. n. 35.* Nam, uerba eius sunt, *quum emtor ad retrouentionem ex pacto obligetur, non potest eam recusare ex praetextu, qui illum nihil adimet, sed ius alterius personae contingit, quae futura est exceptio de iure tertii, quam iurisprudencia non admittit.* L. 9. $\S.$ 1. $\pi.$ de *condict. caus. dat.*, L. 44. $\S.$ 1. $\pi.$ *sol. matrim.* Eliditur haec etiam exceptio per replicam: quoad te liberas aedes habeo. L. 5. $\S.$ 7. $\pi.$ *si seruit. uind.* Huc tamen requiritur, ut redimens caueat de reuendendo partem socio, eam fortassis redimere gestienti. CARPZ. P. 2.

C. I. d. II., BERLICH. P. 2. *concl.* 2. n. 32., MARTINI
ad O. P. S. Tom. II. p. 894. n. 43.



NOBI-



NOBILISSIMO CONSULTISSIMOQVE

DOMINO

CANDIDATO

S. P. D.


PRAESES.

Triga academiaram, quam tot inter Martis furentis procellas, diuina ita dirigente gratia, sartam testamque conseruatam gaudemus, benigna artium liberarium mater, in Tuis etiam Vir nobilissime! expoliendis animi dotibus quam munificentissima extitit, Goettingensis, Helmstadiensis, Halensis. In complementum ueluti studiorum academicorum, abs Te iam laudabiliter adquirentium, praelectionibus meis in iuris prudentia haecenus uacasti priuatissimis, quo uoti Tui compos amplissimi in utroque iure honores legitime ac publice Tibi conferantur. Est itaque, Vir Consultissime! cur Tibi eximios, proxime a Te acquirendos, de quibus optime es meritus, honores ex animo gratuler. Faxit supremum, quod adoramus Numen, ut in Tui felicitatem, florentissimas Hamburgensium reipublicae salutem, nec non Parentum venerandorum laetitiam cepta Tua porro ex animi sententia cedant. Quae ad me adinrent, quoties de me cogitas, me cogitabis, peto, nunquam non Te magni facientem, amantem.



F

NOBI-



NOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D,

IO. SAMVEL FRIDERICVS BOEHMER, ICT.
 POT. RFG. BORVSS. CONSIL. INTIM.
 ACADEM. VIADRIN. DIRECTOR
 FACVLT. IVRID. ORDINARIVS.

*E*st ea seculi praesentis singularis felicitas, quod plures studium iuris Germanici laudabili conatu restaurare laboraverint et tot reliquias ex moribus domesticis ubique obvias egregie illustraverint. Testantur id scripta, quae post CONRINGIVM in publicum prodierunt, et quotidie euulgantur, quibus usus iuris germanici contra ius Romanum vindicatus, aut capita eius singularia ex genuinis fontibus explicata. Huius generis est praesens opusculum, quod ob argumenti electi dignitatem a peritioribus probatum iri, nullus dubito. Gratulor tibi felicem hanc optionem, tanto illustriorem, quanto nobilior est dies, qui TIBI tum ad defendendum hoc thema tum ad capessendos publice honores dictus. Faxit ter summum numen, ut haec solennia, dum in pacis haec hactenus exoptatae applausus publico incidunt, TIBI sint fausta ac felicia. Vale.

Francof. ad Viadr. d. XVII. Febr.

MDCCLXIII.



NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO
C A N D I D A T O

S. P. D.


IOHANNES FRIDER. POLAC

DOCT. ET PROF.

Specimen hoc tuum de translatione pignoris, quod publico eruditorum examini subiectis, est ultimum quod debes Ordini nostro, antequam Tibi conferantur honores, quibus ornamus eos, qui nobis dederunt pignora doctrinae et solidioris Iuris utriusque scientiae, cui Tu in super rite adiungere didicisti pereximiam morum elegantiam. Exsoluto nunc omni debito, quod exigebamus, reddimus Tibi pignora, et ut solent facere cum liberis tanquam suis carissimis pignoribus boni parentes, e gremio nostro uotuis acclamationibus Te remittimus in patriam, dulce illud solum, quod Te tenuit hucusque ad fouebit imposte-

F 2

rum



rum. Sis felix gratusque Tuis, cedant Tibi omnia prospere; illam tamen datam fidem, quum nomen albo nostro dederis; Te beneficiorum Academiae memorem, et fauorem eius, ad quemcunque dignitatis gradum perueneris, futurum pignoris loco resinebimus. Vale.

Francof. ad Viadr. d. XVII. Febr.

MDCCLXIII.



ULB Halle

3

004 393 171



f TA → d
nw 7+ 10 Schild verknüpft





1763, 2 2 /
~~300~~

DISSERTATIONE INAUGVRALI
IVRIDICA
DOMINII TRANSLA-
TIONEM

IN
PIGNORE GERMANICO

CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
IO. GOTTL. DE HACKEMAN
IVR. VTR. DOCT., ET COD. IVSTIN. PROF. PVBL. ORD.
FACVLT. IVRID. H. T. DECANO
PRO LICENTIA

SVMMSIQVE IN VTROQVE IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME OBTINENDIS
PVBLICE EXPENDET

D. FEBR. MDCCLXIII.
IOH. THEOPHILVS LVDOVICVS ORLICH
MAGDEBVRGENSIS.



FRANCOFVRTI CIS VLADRVN,
VVPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REC. TYP.